

Johann Simonius


## **Oratio In Funus Divae Principis Margarethae Elisabethae Megapolitanae**

[Rostock]: Saxo, 1617

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72996759X>

Druck Freier  Zugang





1619.

Mk - 1619.





XII.

ORATIO  
IN FUNUS

Divæ Principis

MARGARETHÆ  
ELISABETHÆ  
MEGAPOLITANÆ,

*Scripta, & in Academia ad  
Uarnum publicè  
recitata.*

IX. IANVARI, ANNO M. DC. XVII.

à

JOHANNE SIMONIO.



---

*Typis exscriptis*  
MAURITIUS SAXO.  
ANNO  
M. DC. XVII.



*Duz*



Ex  
Bibliotheca  
Academica  
Rostochiana





Mnibus temporibus, Audi-  
tores. apud omnes quæ huma-  
nitatis laude claruerunt, gen-  
tes funerum curam, tãquam  
ipsi mortalitati coetaneam,  
non solum receptam, sed apud  
plerasq; etiam speciosam,  
amplam sacrosanctamq; fu-  
isse: ex historijs accepimus. Intellexerunt enim pru-  
dentiores, cum inter hominem & bestiam multum  
interfit; non decere, ut illud corpus, quod anima &  
rationis, quam delibatam à DEO habemus, domici-  
lium olim fuit, ceu morticina caro nocturnis cani-  
bus & porcis abjiciatur: sed insignem illi honorem  
jure propemodum suo deberi. Itaq; non Abraham  
tantum dedit operam, ut exequiis conjux Sara mor-  
tua honestaretur. nec soli filij Jacobi clarissimum Pa-  
trem funere satis amplo magnificoq; ex Aegypto ela-  
tum, honorificã deductione, comitantibus florentissi-  
mi illius regni proceribus, in a vitum sepulchrum in-  
tulerunt: sed cum alij populi extra Ecclesiam, tum  
Græci imprimis, cæteros, ut sapientia, eruditione,  
omni virtutum genere & rerum gestarum gloria,  
sic magnificentia sepulcrorum, accuratioeq; funeran-



di diligentia ceteros superaverunt. Atq; ut id genus,  
quæ multa in ipsorum monumentis reperiuntur, a-  
lia mittam: quanto cum apparatu Patroclo funus  
sit factum, quàm multiplicia ille habuerit, quæ ex ani-  
mum eius corpus decorarent, quam varios isti ludos  
instituerit Achilles: optimus Poëtarum Homerus do-  
cet. Pari amplitudine, si non fortè majore, elatum  
esse Achillem Græcorum fortissimum, autor est Ho-  
meri continuator Quintus Smyrnaeus. In qua pom-  
pa, illud omni pompa majus mihi videtur, maxi-  
meq; memorandum: quod Poëta refert, tanti He-  
rois exequias etiam iussisse Musas ex Helicone, quæ  
Patronum suum luxerint, & Thetidem Achillis  
matrem consolatae sint. Quod si honori defunctis  
fore, operaq; precium existimarunt Ethnici, Musas  
ex obitu eorum, qui in luce Reip. constituti sunt, soli-  
citudine pia affici: profectò nec nostro huic Heliconi  
ad Uarnum Balthicum, non quidem excelsis collibus  
rupibusq; editis in aërem, ut ille, surgenti; sed omni-  
um bonarum disciplinarum artiumq; quæ ad vitam  
benè beateq; vivendam faciunt culturâ, inter tot tem-  
pestatum fluctus, tamen DEI gratia, illustrissimorum  
nostrorum Evergetarum patrocínio, discentium docē-  
tiumq; laboribus conspicuo, indecorum fuerit, suum,  
quem ex illustrissima Principis & Dnæ. Domine  
**MARGARETHÆ ELISABETHÆ,**  
Ducis

Ducis Megapolitanae, Principis vetustae gentis He-  
netae, Comitum Suerinensis, Terrarum Rostochij &  
Stargardij Dnae, Dnae & nutritiae suae Clementissi-  
mae obitu dolorem accepit, hoc ipso die, quo Celsitu-  
dinis ipsius corpus in sepulcrum majorum regale,  
Gustrovij, frequentissimo conventu, publico luctu,  
maxima cum ceremonia inferetur, recensendis ipsius  
laudibus testari. Etsi vero hujus honestissima rei ex-  
plicatores alios me magis idoneos disertioresq; in hac  
doctissima coronâ conspicio: quod ego tamen, cate-  
ris clarissimis Viris sedentibus, hanc dicendi pro-  
vinciam suscepi; quodq; hoc tempore in hunc locum  
conscendi; feci id non aliqua arrogantia, quam pro-  
cul habeo, aut facultatis dicendi, quam nullam in  
me agnosco, ostentatione: sed haud culpanda, ut  
ego opinor, in Regiam Ducum Megapolitanorum  
gentem pietate, atq; meo quodam subjectissimè ipsis  
debito officio. Tanta enim Illustrissimorum atq; Cel-  
sissimorum Ducum Megapolitanorum, tum eorum  
qui proximis annis vixerunt, tum qui etiam nunc  
per DEI gratiam huic Ducatui imperant, tamq; il-  
lustria in me meosq; exstant beneficia, ut nisi ea ipsa  
gratus agnoscam, ingratis sim omnium quot  
quot alma tellus alit. Ipsa quidem piè defuncta  
Princeps non indiget hoc nostro officio, nec vult sibi  
lamentando lesus fieri, aut praeficas conducì à quibus

laudetur: Vivit illa in conspectu DEI, & cum sanctissimo Angelorum choro permixta latum Alleluia Deo canēs, hæc spectacula minimè curat. Sed, quemadmodum tamen honestè involvimus mortuos, eisq; funus pro conditione ac statu etiam amplum ducimus, idq; sine religionis violatione facimus: sic nemo, nisi extremè impius culpa verit, si defunctorum laudes recordemur, & mente optima prædicemus. Revera enim in Illustrissima piè defuncta Principe fuerunt laudabilia omnia; sive ad ea respicias, quæ pulcras in homine efficiunt actiones, quas res honestas esse constat: sive ad ea, quæ non nisi ab animo per Virtutem divinitus illustrato proficiuntur. Atq; hæc sunt ipsæ laudes, quas mihi summi commemorandas hoc ipso die, quo funus clementissimæ nostræ Dnæ fiet ab Illustrissima Gustavoviensi aula. Quas me commemorantem ut benignè audiatis: à vobis, Auditores, obnixè peto.

Sepè multumq; mentes hominum vexat illa cogitatio, cur non omnes homines, ut una moriendi lege, sic quoq; una vivendi conditione, unoq; statu nascantur? quidq; cause sit, cur unum atq; alterum in fastigio honorum constitutum ceteri omnes venerationem, ei pareant, ad ejus stent nutum, proq; ejus salute opes suas, divitias, facultates, famam, vitam ipsam in extremum discrimen adducere non reformidant

reformident? Et quidem nonnulli eò dementia per-  
venerunt, ut existimarent, hanc ipsam inæqualita-  
tem à mente, quæ æquitatis fons sit & origo, nullo  
modo existere potuisse: sed illam ducere ortum ab eo,  
qui est confusionis omnis in genere humano auctor  
& propagator. Verum quàm foedissimè hi ipsi ballu-  
cinentur: testis est ipsorum conscientia, à qua con-  
vincuntur, esse eorum, qui imperant, majestatem à  
solo D E O, omnium potestatum illo locupletissimo  
assertore atq; auctore. Hic enim ipse ille D E U S, cum  
omnes regat, à nemine regatur, suæ potentia hæc quoq;  
in rebus humanis vestigia reliquit; ut quosdam,  
eosq; paucos, excelsò loco nasci voluerit; quos præ re-  
liquis omnibus singulari auctoritate, tanquam pano-  
plia quadam, ne à quibusvis lædi possint, circum-  
dedit; reliquis autem illam mentem indidit, ut illis  
paucis se submittant, sint in officio, imperiumq; hu-  
jus vel illius prognariter exequantur. Non nego, mul-  
tum quoq; ex causis humanis sibi ad majestatem  
assumere imperantes: sed nec negari potest, tantam  
omnium mentibus unius homunculi, interdum  
quoq; omnibus vitiis deturpati, insitam reverentiã,  
tantum terrorem, non nisi ab illo solo, qui de se con-  
firmavit, se facere ut oculus videat, & ut auris au-  
diat, esse atq; existere. Ex hoc Imperantium ordine  
cum oriunda sit Illustrissima nostra Heroïna;  
ecquis

ecquis diffitebitur divinam in ejus nascendi origine  
providentiam? Genus enim ducit hæc nostra Illu-  
strissima quæ Patrem, à communibus cum Illustris-  
simo marito, nunc mæstissimo viduo, majoribus,  
ab Illustrissimis Ducibus Megapolitanis, regia Obo-  
tritarum & Vandalorum prosapia ortis; quæ Ma-  
trem, à regio Suecorum stemmate. Quas duas toto  
orbe celebratissimas, & præclaris rerum gestarum  
monumentis ad omnem memoriam commendatissi-  
mas familias cum nomino: videtis, Auditores, &  
quæ vestra prudentia est, intelligitis, quantum cu-  
mulum veræ laudis, quam multiplicia, tanquam  
cornu quodam Amaltheæ, quæ unquam in genus  
humanum derivari possunt, bona complexus sim:  
quæ si verbis atq; oratione hac mea explicare cona-  
rer: conarer stellas connumerare poli. Paucas tamen  
quasi guttulas tam divinæ tamq; excellentis com-  
mendationis ex immenso hoc laudum utriusq; regij  
stemmatis Oceano delibabo.

Pater igitur Divæ hujus Margarethæ Elisabe-  
thæ, ingenij, corporis, fortuna bonis ornata fœmine  
Principis, Illustrissimi Principis Joan-Alberti,  
Ducis Megapolitani, nunc piè defunctæ conjugis,  
fuit Christophorus Dux Megapolitanus, Alberti  
Principis, quo nemo illa ætate dotibus vel animi ex-  
celsi, vel heroici corporis pulchrior in Imperio fuit,

ca

ex Anna Brandenburgica filius: magnorum illo-  
rum Heroum, Joannis-Alberti (nostrorum Il-  
lustrissimorum Principum Dni. Adolphi-Friderici,  
& Dni. Joannis-Alberti fratrum, a vi) Uldarici  
item & Georgij & Caroli frater: Magni, Star-  
gardiensis Ducatus acquisite, ex Sophia Pomer-  
nica nepos: Henrici, Vandalia recuperatoris ex  
Dorothea Brandenburgica pronepos: Joannis, condi-  
toris hujus Academiae, ex Catharina Saxonica ab-  
nepos: cujus vitam verè dicas speculum totius chori  
virtutum, rebus tùm aduersis tùm prosperis mirifi-  
cè probatarum. Penè enim puer ex medio studiorum  
cursu abreptus, tempore Sphynxis Augustanae, in  
Gallias ad Regem Henricum II. obses à fratre Joan-  
Alberto, solo verae Religionis, & libertatis magnæ  
nostræ Germaniæ, amore missus est. Inde reductus,  
licet primum Episcopa Raceburgensis gubernationem  
adeptus, deinde etiam in spem certissimam succeden-  
di in Archiepiscopatum Rigensem, à Wilhelmo  
Præsule, Alberti Ducis Borussiae fratre, vocatus  
esset; tamen in quantas difficultatum voragines  
Dux Christophorus, & tùm statim, concitatis con-  
tra se Livoniae proceribus, & postea hac charybdi-  
ena vigata, cum Scytharum Tyrannus Basilides,  
nulli, ne quidem ipsis furialibus inferis, feritate &  
truculentia cedens, orbem Livonicum direptionibus;

B

cadibus

cedibus, crudelitate, omnem quæ unquam fuit aut  
esse potest immanitatem superante, vastaret, præter  
omne meritum inciderit: vita optimi & præstan-  
tissimi Principis luculenter testatur. In quo qui-  
dem calamitatum concursu, & quadam infesta  
inter se quasi conspiratione, Dux Christophorus,  
quanti majoribus premeretur adversitatibus, tan-  
to majorem animum sibi ex illis comparavit: du-  
rus ut ilex tonsa bipennibus: nigra feraci fron-  
dis in Algido, per damna, per cadeis, ab ipso du-  
cit opes animumque ferro. Sed ex his malorum tem-  
pestatibus tandem eluctatus, navem in tranquillissi-  
mum & felicissimum portum subduxit: inque eo usque  
ad vitæ finem subsistens, multa præclara veræ pieta-  
tis in Deum, munificentia in Ecclesiam ejusque mini-  
stros, benignitatis in pauperes, veracitatis candidæ,  
& Machiavellicarum artium expertis, singularis  
erga subditos Clementia, justitiæ & solertiæ in admi-  
nistranda Republ. propemodum divinæ, paternæ er-  
ga suos bonitatis, mascula in contemnendis iis, pro  
quibus homines digladiari solent, fortitudinis, pruden-  
tiæ in vita priuata regenda admirabilis, opera edidit.

Est Suecia, ut scitis, regnum vetus, legibus, judi-  
ciis, disciplina civium, vera religione ac aliis piæ &  
honestæ gubernationis præsidis ornatum: agrum ha-  
bens uberem, maria, lacus, flumina piscium variorum  
proventu

proventu fecunda: metalla etiam plumbi, ferri aris  
& argenti: sylvas feris refertas & mellificio abun-  
dantes: nobilitatem omnibus animi & corporis bo-  
nis illustrem: incolas viribus prestantes & bellico-  
sos, religionis, libertatis & jurium Reip. tenacissi-  
mos. Hoc amplissimum & antiquissimum regnum  
aliquot seculis per indigenas & domesticos governa-  
tum, ducentos ferè annos ex posteris S. Erici (qui Eri-  
cus circa annum Christi 115. summa rerum preffuit )  
Reges perpetua serie habuit, per quos Suecia fortiter  
defensa & feliciter administrata fuit. Etsi v. postea  
ad Danos, ad Albertum Ducem Megapolitanum,  
ad Christophorum Palatinum Ruperti Imperatoris  
nepotem axioma Suecici Imperij pervenit: tamen  
& hoc quoq; intermedio tempore unus atq; alter,  
ex S. Erici Regis nepotibus ad clavum illius Rei-  
publ. sederunt: & tandem ad posteros ejus, quem  
dixi, S. Erici gubernatio Potentissimi illius Regni  
quasi postliminio tota redijt: divinitus excitato Gu-  
stavo: qui cum ex crudeli tyrannide, qua penè op-  
pressa tñ erat, Sueciam liberasset, & verè heroica vir-  
tute fortunaq; admirabili patriam afflictã recreas-  
set, labentem erexisset, nutantem confirmasset: omnium  
regni ordinũ suffragiis communiq; consensu Rex. Sue-  
corũ solemnè ritu designatus, magno ingenio, prudẽtia  
summa, acri et presenti animo illud defendit: et civi-



libus bellis sopitis non modò in eo munere dum vive-  
ret praeclare se gessit, sed hunc quoq; sapientis, sedula,  
justa ac felicitis gubernationis cursum constantem &  
tranquillum totos ferè annos quadraginta summa  
cum auctoritate tenuit, & tandem in placida anno-  
rumq; satura senecta pie descendens regnum florens  
filiis reliquit. Hujus fortissimi & felicissimi Sueco-  
rum & Gothorum Regis GOSTAVI filiam E-  
lizabetham, omnibus virtutibus Regiae Virgini ac  
heroine convenientibus exornatam; Joannis &  
Caroli Regum Suecia; Catharina, Ezardo Frisiae  
Comiti matrimonio juncta; Cecilia, Christophoro  
Marchioni Badensi sociata; Anna Maria, Joan-  
ni-Georgio Palatino Rheno, Duci Bavariae elocata;  
Sophia, Magno Saxoniae Duci nuptui data, sororem  
germanam, Dux Christophorus anno reparati gene-  
ris humani 1581, secundo sibi conjugio copulavit: atq;  
ex ea unicam filiam Margaretham Elisabetham  
suscepit. Ex his ergo tantis parentibus, quarum  
summae laudes, excelsò & illustri loco posita, ad o-  
mnem posteritatem praedicatione hominum propa-  
gabuntur: ex his spectatissimis & toto orbe clarissi-  
mis majoribus nata Diva hac nostra Margaretha  
Elisabetha has terras primum aspexit, anno à mun-  
do redempto supra Quingentesimum millesimo, octua-  
gesimo quarto, quinto idus Julij. O eximum &  
suspicien-

suspiciendum in rebus humanis decus! O minime  
dubium Virtutis futura pignus! esse aliquem, qui  
non tantum ex ea prosapia natus sit, quæ ad sum-  
mum nobilitatis apicem euecta est; sed cui tantum  
honestatis, industria, fidei, prudentiæ, magnitudi-  
nis animi, moderationis & diligentia in omni gene-  
re homines tribuant, ut ejus patrocínio & tutela se,  
suam libertatem, fortunas, salutem, denique omnia  
quæ carissima habent, committant atque commen-  
dent. Quis enim Auditores, penè in manibus  
excussum atque jactatum hoc esse non fateatur? quis  
eat inficias? natalibus heroicis, ornamenta familiæ,  
motusque animorum generosiores atque feliciores di-  
vinitus insitos in posteritatem propagari?

Scio equidem perspectumque habeo, quid hic objici  
odiosè à nonnullis soleat: à viris egregiis, perinde  
quasi fato quodam id accidat, improbos proficisci fi-  
lios; cum & vulgo dicant, Heroum filios esse noxas:  
& ex sapientissimis parentibus nasci stultissimos li-  
beros: Aelium etiam Spartanum in Imperatore  
Severo, multis exemplis planum facere, ita ferè usu  
venisse, ut viri seu virtute, seu litteris, seu fortunæ in-  
dulgentia insignes, aut nullos omninò liberos habue-  
rint, aut tales reliquerint, ut magis ex usu rerum  
humanarum fuerit, illos absque liberis decedere. Hæc  
& dici certum est, & non rarò etiam fieri. Verum

enim verò, non, quia abortus sæpè accidit, rectè nascè-  
di lex est sublata: nec, cum aliqui degenerant ex He-  
roum natis, ideo negandum est quod volumus. Sit  
potius hoc fixum ratumq̃: semina virtutum  
plerunq̃, ab Heroicis parentibus in liberos propagari:  
multumq̃, ad ingenium hoc vel illo habitu imbuendū,  
moresq̃ conformandos atq̃, etiam inferendos valere  
stirpem generis: atq̃, ab hac diuinitus concessam  
quandam naturis generosis communica-  
ri. Declarare id voluerunt Poëta, qui quem signifi-  
care cupiunt sævo, immiti, inhumano esse ingenio:  
cum dicere solent è saxis & rupibus natum, à Scyl-  
la, Charybdi, Syrtibus ejectum, à Leonibus educa-  
tum: contra, placidum, mitem humanumq̃, descri-  
pturi, Diis & laudabilibus parentibus prognatum  
esse asserunt. Quæ igitur, inquires, est tanta dissi-  
militudinis causa? cur fit, ut æquet rara patrem  
soboles, sed plurimi ab illis degenerent? pauci su-  
perent probitate parentem? Hujus rei, Auditores,  
causæ per plurimæ sunt. Nam sensus nostros non  
parens, non nutrix, non magister, non scena deprava-  
vat, non multitudinis consensus ducit à vero. Ani-  
mis omnes tenduntur insidiæ, vel ab iis, quos modo  
enumeravi, qui teneros & rudes, cum acceperunt,  
insciant & flectunt ut volunt: vel ab ea, quæ peni-  
tus in omni sensu implicata insidet imitatrix boni  
voluptas

voluptas: vel ab eo, qui tanquam Leo rugiens noctes  
diesq; circumit quæsitum quem devoret. Accedit &  
illa causa, cur sæpè liberi nullam cum parentibus si-  
militudinem habeant; quod D<sup>E</sup>us non vult sua bo-  
na alligata ad successores familiarum & propagatio-  
nem carnalem: sed vult hac infelicitate liberorum cū  
omnes homines, tūm præcipuè potentes ad modestiam  
et timorem Dei flecti. Cumq; multa sint parentū He-  
roicorū peccata: latè quoq; vagatur pœna per posteros.

Quo magis oportet viros Principes id operam da-  
re, ut & ipsi præclare vitam instituant, & in liberis  
suis rectè educandis; quanto periculum majus est, eò  
operosiores curam ponant. Id ita esse, ut credatis,  
rem vobis auctorem dabo. Nam Dux Christopho-  
rus, & hujus serenissima conjunx Margaretha, post-  
quam intelligebant, non satis esse nasci in regia fami-  
lia; sed liberos, simul atq; diuinitus concessi essent, fa-  
milie cœlesti ascribi, & quemadmodum ager, etiam  
optimus, colendus est, ne sterile scat; sic, quo excelso-  
re sint loco nati, tanto meliori doctrina adultos imbui  
oportere: nihil prætermiserunt eorum, quæ ad utrumq;  
pertinebant. Nam & infantem per mysticam ablu-  
tionem corpori Domini nostri Jesu Christi, Eccle-  
sia, maturrimè inseri curarunt; & statim atq; per  
etatem licuit, indolem filie ad pietatem & ad o-  
mne regalis virtutis, quod quidem ab ipso sexu ex-  
spectatur

spectatur, decus, assuefactione & disciplina sanctitate instituerunt, naturamq; sua sponte ad verecundiam, pudicitiam, modestiam, & omnem honestatem excitatam sic expoluerunt, ut quantum Margaretha-Elisabetha, pulcritudine & augusta formae lectissima venustate reliquas sui ordinis Virgines antecederet, tantum etiam virtute & elegantia morum praestaret: ut verè pulcher hospes, habitaret in pulcro hospitio. Atq; hanc curam uterq; Illustrissimus parens filia sua Illustrissima rectè educanda sedulo impenderunt.

Nec de studio hoc remisit quicquam Serenissima Mater, ab obitu Ducis Christophori mariti: quem meminimus anno 1593. lenissimè & beatè in domino obdormire. In Sueciam enim profecta, voluit apud se esse Filiam, ut in ejus egregia pietate ingravescens ipsius aetas acquiesceret, fructumq; ex filiae virtute futuris temporibus Mater vidua perciperet. At nihil est intra orbem Luna stabile, nihil fixum, nihil firmum: omnia sunt caduca, mobilia, fluxa: nec quicquam est, quod respondere soleat minus optatis, quam de nostris rebus suscepta à nobis cogitationes. Quarto enim post Ducis mariti beatam hinc migrationem, anno, & ipsa Holmia in urbe & sede regia vitam cum morte commutavit: &

orpha-

orphanam hanc suam filiam, à patrio ducatu longif-  
simè absentem reliquit.

Quid tum animi fuerit, Auditores, piè hinc  
nostræ defunctæ Illustrissimæ Domina, quantis ge-  
mitibus matrem Serenissimam, unicum suum efflore-  
scentis ætatis, secundum D E V M præsidium desi-  
derarit; quibus lacrumis, quo planctu tantam suam  
solitudinem prosecuta sit; facile judicabunt ij, qui re-  
rum humanarum sunt gnari & docti. Herebat qui-  
dem in eo regno, cujus reges & gubernatores sibi erant  
propiore necessitudinis vinculo conjuncti: erat cum  
ijs, quibus natura & sanguinis arctioris ratione nõ  
poterat non esse commendatissima: vivebat apud  
eum populum, qui ipsam propter beneficiorum Ma-  
jorum ejus memoriam, reverebatur & colebat.  
Sed tamen, quia Matrem serenissimam amiserat;  
quia jam orbata erat utroq; parente, quia spem suam,  
quia columnen suum perdidit, eo tempore extinctũ,  
quo omnia erant per Regnum Sueciæ potentissimum,  
excluso inde Polono, perturbatissima: fieri non potuit,  
quin illam mors serenissimæ matris, eaq; tam immat-  
tura præcipuo quodam dolore affecerit. Exeruit se  
tamen pietas nostræ Illustrissimæ, quam ab ipsis incu-  
nabulis una cum lacte imbiberat: quæ teneram hanc  
Virginem Regiam tanto luctu percussam, non solum  
erexit, sed & inter multas procellas divinitus con-  
servavit.

C

servavit.

servavit: donec Illustrissimus & Celsissimus Prin-  
ceps & Dn. Dn. Joan. Albertus, Dux Mega-  
politanus, Princeps Romani Imperij clarissimus, e-  
gregia & illustri, pietatis, virtutis, probitatis, sin-  
gularis animi magnitudinis, justitia in administran-  
da Republ. in subditos benevolentia, clementia in  
hanc Academiam suam mirifica gloria ac laude spe-  
tatisissimus; ardenti & sincero cognati sanguinis a-  
more ductus, longo itinere ad septentriones exaclarato,  
Illustrissimam Dn. Margaretam Elisabetham pe-  
titam & pactam sibi jungeret conjugem: nuptiisq; die  
nono octobr. Anno 1608. pompa solemni publica cum  
letitia celebratis, in hanc suam Megapolin cum omnium  
subditorum applausu & congratulationibus reduceret.

In quo matrimonio insignia pietatis, mode-  
rationis, comitatis, temperantia & fidei conjugalis  
specimina prodidit Illustrissima Margaretha Eli-  
sabetha; ut verè generosa heroina, & omnium virtu-  
tum penu dicatur. Cum enim pectus haberet illustra-  
tum Spiritu sancto: hocq; auctore & adjutore Illu-  
strissimorum Parentum institutioni addidisset sacra-  
rum litterarum lectionem frequentissimam, & attē-  
tissimam verbi divini auditionem, assuefactioneq; atq;  
hoc modo sibi necessaria ad piè beneq; vivendum subsi-  
dia comparasset: id unicè curavit ut erga DEVM  
religiose, erga Illustrissimum maritum sincere, erga suos  
subditos

subditos benignè, in omnibus matronalis officij parti-  
bus moderatè, prudenter & temperanter se gereret.  
De quibus excellentibus virtutibus Diva Principis,  
mihi nunc erit dicendum: in quibus explicandis si nō  
omnia, sed summa sequar tantum fastigia rerum, da-  
bitis mihi, Auditores, veniam.

Quantum malum sit mulier sibi placens, ni-  
hilq; aliud curans quàm ut benè comta sit qua-  
cunq; ingreditur: Comicus Sarsinas quodam in  
loco testatur: Negotij, inquiens, sibi qui volet vim  
parari, navem & mulierem hæc duo comparet, nam  
nulla magis res dua plus negotij habent eas forte si  
ornare occeperis: neq; unquam satis hæc dua res or-  
nantur. Est enim hoc propemodum muliebri sexu  
ingeneratum, se comere, multis pigmentis se illinere,  
vestibus, non secus atq; Junonis ales caudâ superbi-  
re, ostentare plumas; torquibus, gemmis, ornamen-  
tis novis ceu stellis se polire, expolire, fingere, pingere.

Longè alia erat Margaretha Elisabethæ ratio:  
alius sensus. De mundo muliebri Tertullianus quo-  
dam in loco ita scriptum reliquit: prodite (inquit ad  
feminas) sumentes de simplicitate candorem, de  
pudicitia ruborem, depicta oculos verecundia &  
spiritus taciturnitate, inserentes in aures sermonem  
DEI, annectentes cervicibus jugum Christi, caput  
maritis subjicite, & satis ornata eritis. Manus



lanis occupate, pedes domi figite, & plus quam in  
auro placebunt. Vestite vos serico pietatis, byssino  
sanctitatis, purpura pudicitia. Talem mundum  
Divam Margaretham Elisabetham sibi sumsisse,  
omnes, qui eam penitus noverunt, testari oportet.  
Erat illa quidem forma ab unguiculo, ut dici solet,  
usq; ad capillum pulcherrima: verè enim hanc Prin-  
cipem natura fecerat lilium & rosam: sed genas istas  
non tam color nativus, quam pudicitia & verecun-  
dia purpurabat: corallina ista labia non tam affabi-  
litas, quam veracitas & taciturnitas decorabant.  
Quid dicam de vestitu? & illo quidem, qui sua per-  
sona, summoq; isti excellentia inter homines loco re-  
sponderet, & cui cultus cum elegantia non deesset,  
Princeps Illustrissima amiciebatur: nec se dedecere  
putabat reliqua, quæ nuribus regis conveniunt, or-  
namenta. Sed luxum omnem inde repellebat: Cleo-  
patra artificia aversebatur: theatrales illas nonnul-  
larum pompas detestabatur: inq; eo uno se efferebat,  
ut pietate, comitate, modestia, in Illustrissimum ma-  
ritum fide magis mentem; quam purpura, serico aut  
byssino corpus ornaret; utq; bono exemplo gynaceo  
suo præiret: in quo non flabelliferas, sandaligerulas,  
cantrices, cistellatrices alebat, sed primarij sanguinis  
virgines pie pudiceq; educabat. O Principem femi-  
nam excellentem! Inam quo: ies ego in colendo Il-  
lustrissimo

lustrissimo marito comitatem, quoties tuam fidem,  
quoties ceteras omnium voce depradicatas virtutes  
mecum considero; toties cum selectissimis quibusque  
mulieribus, quas historia nobis ad miraculum usque  
commendant, cum Helena matre Constantini Ma-  
gni, cum Placilla Coniuge Theodosij, cum Placidia,  
cum Pulcheria, cum Timoclea Thebana, cum Thea-  
no Metapontina, feminis ornatissimis juxta & le-  
tissimis comparare nullus dubito.

Scribit, vobis etiam, Auditores, testibus, Home-  
rus: domos tunc precipue indemnes custodiri, & cum  
ratione summa gubernari, si mulier viri arcana non  
anxie nimis rimetur & introspiciat, nec rursus illo  
in scio quippiam suo pte ingenio exequi instituerit.  
Quis igitur omni laude Divam Margaretham E-  
lisabetham prosequendam ambigeret, in qua tantum  
decus eluxit? Quanta sit mulierum curiositas in ex-  
piscandis iis, qua secretò agantur, id vel unica Ma-  
ter Papyrij pretextati nos docet. Multas quoque eò  
agit insania, ut se negotijs publicis immiscere, suisque  
doloris puniendi, vindictaque in alios exercenda cau-  
sâ omnia turbare minimè erubescant: cujus rei te-  
stis est versiculus ille græcus, in delirum senem, bellis  
cælum terræ miscentem Julium Papam aliquando  
jaëbatus: γεαὺς ἀνασκευήσασα πλὴν κοιλίῳ ἐγείρει, anus  
inconcinne saltans magnum pulverem excitat.

Verè enim tales femina, quæ lamiarum oculo sibi  
sumto per omnia publica volitant, quæ instar ca-  
num sagacium cuncta investigant, quæ se gubernationi ingerunt; huiusmodi femina verè causam  
dant magno pulveri, magnis calamitatibus, multis  
magnis malis: id quod ita esse in Athalia, Je-  
sabele, Eudoxia, Brunhildi, & superiore seculo in  
decantatissima illa Furiarum quarta, tempora illa  
non sine ferè regnorum orbisq; ruina ac clade di-  
dicerunt.

His tam tetrìs artibus abstinuit Illustrissima  
hæc nostra Dna. Nihil enim est, Auditores, omni-  
um rerum humanarum difficilius, quàm gerere  
Magistratum, h. e. consulere patriæ, parcere afflictis,  
fera cade abstinere, dare orbi quietem, seculo pacem  
suo. Nec enim solum locus ille sublimis est, atq; ad  
lapsum quàm facillimè impellens: sed & negotiorum  
magna est tum varietas, tum gravitas; & belluæ,  
quæ sese regentibus opponunt, sunt permultæ, Tauri,  
Centauri, Leones, Scorpij, Cancrì, & ut uno ver-  
bo, populus bestia multorum capitum: quibus omni-  
bus efficitur, ut optimo etiam & rectam viam  
regendi optimè callenti gubernatori, nimis injucun-  
da nimisq; gravis & molesta sit administratio.  
Hanc difficultatem intelligens Diva nostra Mar-  
garetha Elisabetha, nec curiosa erat, nec vindictæ cu-  
pida:

piada: sed se intra officij sui limites studiosè continebat:  
clausas calumniis aures habebat: ab iis quæ publica  
erant, quæq; sua non intererant, cogitationem animi  
avertebat: nihil explorabat: in partes Reip. se nequa-  
quam ingerebat. Intercessione tamen justa & fideli  
multos laborantes et pressos apud Illustrissimum ma-  
ritum juvit, seduloq; cavuit, ne factò & opere cuiquã  
incommodaret, aut agrius faceret. Quis, ô Diva  
Margaretha-Elisabetha, hac in te non jure miretur?  
quis tantam virtutem non exosculctur? quis tam ci-  
tò huic terra Megapolitana ereptam te non doleat?  
Celebrent Ethnici suas Alcestides: prædicent Corne-  
lias: efferant Lucretias: Tu eas omnes, & si quæ a-  
lia sunt, longè superas & vincis. Tu sicut sol in ex-  
celsò cælo admirandum totius universitatis rerum  
decus est: sic non modò Illustrissimi mariti, Dni. &  
nutritij nostri Clementissimi corona, sed totius hujus  
provincia ornamentum ac preciosa Margarita, &  
dum vivebas, fuisti, & in omnem perpetuitatem ful-  
genti isto colore splendesces. Ea, enim Auditores, fuit  
hujus heroinæ virtus, & in Illustrissimum mari-  
tum suum pietas, in liberos soçy, in DEUM re-  
ligio; ut nulla unquam dies eam memoriam  
abolitura sit; sed quæ sermonibus ac predicationi-  
bus hominum usurpabitur, quam diu inter ip-  
sos erunt, veri decoris censores & admiratores.  
Ac

Ac certè, cur posteritas hanc Clarissimam Principem,  
illustre illud pietatis, beneficentiæ, modestiæ & fidei  
exemplum semper non intueretur? cur ejus laudes  
sine odio, sine invidia alendas non judicaret? Quid  
enim passim fiat, quis non videt? atq; ut illud tan-  
tum persequar, quàm familiaris sit plerisq; con-  
jugibus discordia ecquis ignorat? cujus quidem  
causam, Xantippe aliquando interrogata? Quid  
de me queritur Conjux? quod vult volo,  
dixit: imperium is sibi vult, id volo & ipsa mihi.  
Multa enim sunt procaces, multa sumtuosa, mul-  
ta sunt imperiosa mulieres, quibus cum maritis tam  
benè convenit quàm agno cum lupa. Itaq; semper  
ibi sunt lites, jurgia, rixæ, non raro pugna, etiam post  
mortem. Bizantinus ille Orator obesus & ma-  
gno aqualiculo, cum progressus ad dicendum ab au-  
ditoribus irrideretur, quid, inquit, agitis? est mi-  
hi domi uxor multò me obesior: & tamen concor-  
des unus nos lectulus capit; discordes ne tota qui-  
dem domus. Tantum malum est in procacitate illa  
imperandi!

Proba autem uxor scit maritum esse superio-  
rem, & se decere, ut honestè obtemperet. Qualis  
nostra Illustrissima fuit; de qua verè affirmari po-  
test: eam fuisse leni ac quieto erga maritum Illustris-  
simum spiritu: nihil eam torvum habuisse in ocu-  
lis

lis, nihil procax in verbis, nihil petulans in voce: sed totam comam fuisse, ut in ea etiam corporis ipsa species simulacrum esset probitatis. Et figura ardentis in maritum amoris.

Quare non potuit Illustrissimus maritus non facere, quin tam piam conjugem, tam placidam, tanta mansuetudinis luce coruscantem, eximium illud et singulare Dei donum, quo nullum est in omnes partes utilius neque cumulatus, impensè redamaret: idque eo magis, quò certius sentiebat, se ex sua vissimo isto conjugio, summa bona cum summo gaudio et voluptate, quã Spiritus etiã sanctus piis maritis spondet, certatim percipere. Quis n. bonum ingens eum consecutum dubitet, cui concors sit matrimonium? cum Publium Rubium celerem ideò beatis annumerent, quod, ut ipse monumento inscribi iussit, cum Caja Ennia uxore, vixerit annos quadraginta tres, menses octo sine querela. Pauciores quidem annos nonster Illustrissimus cum sua Illustrissima in matrimonio eheu! numeravit: sed quicquid id sit temporis, quod non longitudine aut brevitate, sed sancta animorum conjunctione, sanctisque factis aestimandum est; hoc inquam, quicquid sit, id totum conjuges illi florentissimi atque Illustrissimi amicissimo et arctissimo fœderis conjugalis vinculo inter se devincti pacificè transegerunt.

D

Quod

Quod bonum cum sit tantum, ut majus esse non possit: tamen illud est maximum, quod DEVS hoc ipsum conjugium tam pium tam sanctum, tam concors, voluit non desertum & sterile, sed ferax esse & fecundum quatuor liberis, JOANNE-CHRISTOPHORO, qui tamen paulo post ad meliora fata concessit; SOPHIA-ELISABETHA; CHRISTINA-MARGARETHA; & CAROLO-HENRICO Ducibus Megapolitanis; quos tres liberos post se moriens Illustrissima mater, supersites reliquit: atq; utinam in longos annos supersint! In his autē & imprimis in adultioribus instituendis proh DEVM! quam diligentiam mater adhibuit! quam cupijt unice etiam cum lacte verum DEI cultum his liberis suis instillare! quam de ipsorum recta educatione sollicita fuit! quam fideliter ipsos pro atarula sua ad pietatem, ad honestatem ad verum virutis decus sua voce excitavit? quam suavi sermone, quam blandulis verbis, quam mellitulo alloquio id factitavit? stant adhuc illa consignata in mentibus tenerarum Heroinarum; quæ quoties eas chartas aspicient, in quibus capita catecheseos, decem Præcepta, Symbolum, Dominicam Orationem aliasq; piæ preces, sibi ab illustrissima matre olim ad ediscendum manu ipsius præscriptas habent; quoties has laureatas chartas aspicient; toties recordabuntur, insignis illius genericis suæ in se pietatis & studij: quod quidem apud me tantum est, ut quibus id verbis deprædicem, quæ oratione laudem, non reperiam; sed me illi commendando imparcm plane esse agnoscam.

Atq; cum hæc sint veræ pietatis vivæ, in DEVM fidei non inficianda opera; tamen verò in Illustrissimæ nostræ ultimo vitæ actu apparuit, quam verus sit DEVS, cum dixit; se illis adfuturum, à quibus colatur; quantumq; fructum ipsa inde perceperit. Cum enim superiore ætate in morbum incidisset, inveteratum illum & lentum: cui tollendo nulla Medicorum, ne quidem peritissimorum, ars medicinam invenire poterat: toto eo tempore, quo affixa lecto fuit, placidissima ac æquisima mente tædia illius perculit: nullus ibi stomachus, nulla animi perturbatio, fremitus nulli. Excitaverat enim & erexerat ipsius pectus Spiritus Sanctus ad obedientiam DEO præstandam, & fide firma expectandum liberatorem. Itaq; cœciles vigilantissima, gallus, ad laurum, immunem à fulmine arborem, ad-

velato

Volat, ibiq; commoratus absq; sollicitudine & insultu aliarum avium can-  
tillando suo more sese ibidem recreare solet: sic nostra Illustrissima, cum  
ingravescentibus morbis non evasuram intelligeret; providentiæ divinæ  
totam se tradidit: nec impetus, quibus valetudinem corpusq; suum tene-  
rum concuti sentiebat, quicquam extimuit: sed fixa fide Christum pro no-  
bis, ut omnibus ad se confugientibus vitam donaret æternam, mortuum  
& resuscitatum unice intuebatur: cumq; inprimis DEO conditori Patri  
liberos suos dulcissimos devotè, tum præcipue Patri genitori animitus,  
deniq; Consiliarijs, quorum fidem perspectam habebat, clementissi-  
mè commendasset; abjecta rerum caducarum cura, animum cor & men-  
tem ad æternitatem convertit: ardentissimiq; precibus pro felici hinc exi-  
tu ad DEVM suppliciter fuis, cum corporis ac sanguinis Iesu Christi sum-  
tione se Christo magis univisset, & ad beatam migrationem, adjuta sancto,  
cujus opem intentissimo corde semper precata est, spiritu preparasset:  
quasi ab istis locis ærumnarum plenis, in illam innumerabilibus felicitati-  
bus redundantem affluentemq; regionem toto pectore festinaret, hæc, in-  
quit, mi DEVS, est voluntas tua, ut omnis qui videt filium, & credit  
in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Hanc voluntatem quod  
mibi quoq; patefeceris, mi DEVS: pro isto tuo summo in me amore gratias  
ego tantas, quantas pectoris hujus mei angustia concipere possum, maxi-  
mas. sic enim dilexisti mundum, ut filium tuum unigenitum dares, ut om-  
nis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam. Equidem pec-  
catricem me esse fateor, & agnosco tuam iram; sentio flammæ tuas ex-  
candescentes. Sed quia dixisti: Vivo, nolo mortem peccatoris, sed ut con-  
vertatur & vivat: gratiaq; tua immensa per fidem nos justificas; Ecce  
totam tibi me trado: miserere mei: esto mihi propitiis miseræ peccatri-  
ci: recipe me propter Filium pro me passum, mortuum & resuscitatum:  
idq; te facturum firmiter credo: tu fidem meam infirmam adjuva. Immi-  
net mihi quidem mors, & me avidè expectat: sed dixit filius tuus: Ego  
sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet:  
& de manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos; ero mors tua,  
ô mors! ero exitium tuum, ô inferne! His vocibus filij tui veracis & om-  
nipotentis confido. Scio enim quod redemptor meus vivit, & in novis-  
simo die de terra resurrectura sum; & rursus circumdabor hac pelle mea:  
& in carne mea videbo DEVM, quem visura sum ego mihi, & oculi mei:



conspicere sunt, & non alienus. Hæc spes reposita est in sinu meo. Eja veni Domine, veni! & noli tardare! In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; redemisti me, Domine DEVS veritatis. Hic & similibus scriptura dictis cum se illustrissima obfirmasset; tandem in hac confessione, inter has preces, inter hæc suspiria concursu morborum fracta, placide, ac si in somnum se composuisset, hinc excessit, vinculisq; corporis solutum spiritum, ei, à quo acceperat, DEO lubens volensq; reddidit ante diem 16. Novembrii, annojam elapso 1616.

Cujus unius mors eccui non conficit sollicitudinem? Respubl. queritur, mæret equestris ordo, civitates graviter ferunt, agri commoventur, flent liberi, luget Illustrissimus maritus, qui se dimidium ipsum hodie efferrî acerbissime dolet. Et nos quoq; Auditores, rectius atq; Herculeum Musæ, hoc funus Illustrissimæ Domine, nutritiæ nostræ, deploramus. Ipsi quidem piè defunctæ bene est; quæ de labore ad requiem, de agone ad bravejum, de morte ad vitam, de fide ad noitiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad Patrem emigravit. Sed Academia clementissimam nutritiam, Respubl. placidissimam Principem, liberi suavisissimam matrem, Illustrissimus maritus charissimam conjugem, prob dolor! amisit. Quis interitû nutritiæ? quis discessu Domine? quis obitu matris? quis conjugis abitu? qua nihil erat benignius, nihil placidius, nihil blandius, nihil mitius aptiusq; non doleret? quis ex ejus morte summum luctum non hauriret?

Verum modus est tamen hæc constituendus: quod cur nobis Christianis faciendum sit, si queramus: idem mihi videtur esse, ac si, cur DEI voluntati obtemperandum sit, curiosè, ne dicam impiè, investigare velimus. Est abscondita illa celestis civitas, cujus portæ margaritis, mœnia lapidibus preciosis constant; turres ædesq; auro purissimo teguntur: in qua perpetuè auditur carmen illud nobile, Abiterget DEUS omnem lacrumam ab oculis eorum, & mors non erit ultra: ubi gaudia sunt mera, quæ nec visa cuiquam mortalium sunt, nec auribus arrepta, nec mente tractata: ubi degitur vita securissima à beatissimis civibus, Angelis, Archangelis, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, cum DEO & inter se ardentissima caritate copulatis: ubi est libertas sine ulla servitute, sanitas sine ægrotatione, pulcritudo sine labe, ubertas sine inopia, securitas sine metu, cognitio sine errore, saturitas sine fastidio.

fastidio: quò animæ piorum translata consuetudine Beatorum gaudent. Hanc jucunditatem, harum cælestium voluptatum copiam & magnitudinem non invidemus pie defunctæ Illustrissimæ nostræ: sed ipsi potius de ea, quanta possumus gratulatione maxima gratulemur: eam autem ipsam non tam purpureis ad bustum sparsis floribus, spirantibus vè crocis, liliis, violis, rosis aut costo: quam animo memori donorumq; cælestium tam multiplicium, quorum Divæ Margarethæ Elisabethæ corpus templum fuit, perpetuo æstimatore veneremur.

Tu quoq; **JAN-ALBERTE**, genus alto à Stemmate Regum ducens, (sit enim mihi fas, Auditores, eousq; cum hac mee orationis postrema parte expaciari) Princeps Celsissime, vidue mæstissime, Pater patriæ Clementissime! qui ista sejunctione cruciaris, qui Conjugis à te discessione angeris! facis quidem quod hominis est. quis enim privatus est conditionis homuncio, qui sibi ereptum, cum quo sibi bene conveniebat, amicum non fleat? non prosequatur lacrimis? ejus obitu non ingemiscat? stoicus, αἰσχυρός, bestia, lapis sit oportet, qui secus faciat. Sed tamen, patere quaeso, ò Pater Patriæ, hoc à medici; moderare isti tuo dolori. At amisisti Conjugem? non amissa est, sed præmissa. Eripuit tibi mors ornamentum singulare, unionem præstantissimum? non erepta est ista margarita sed in alteram perpetuam vitam prærepta reservatur. ante ætatem canam occidit Tua, nec satis diu vixit? quasi non omnis vita hominum, etiam longissima cum est, brevissima sit, ad æternitatem futurorum seculorum comparata: quasi hoc sit diu, in quo est aliquid extremum. Posuit Tua vitam in ipso flore vitæ? nihil est ibi floridum, ubi etiam optimum dolor est & labor: at nunc ipsa verè floret, postquam ad meliora transit, ubi quæ desideravit tenet; quæ credidit videt; quæ speravit, possidet. Reliquit deniq; tibi liberos tenellos propemodum infantes? His tu, Princeps, pater es genitor, & **DEVS** pater conditor: cui utriq; inter suspiria ardentissima liberos suos ipsa morti proxima commendavit. Ad hæc extrema verba Princeps respice; hæc cogita! & tuorum Illustrissimorum liberorum causa ne te justo plus maceres! Crescit **HENRICO-CAROLINUM** sidus, occulto velut arbor ævo, futuris temporibus, **DEO** propitio, Princeps juventutis & **Megapoleos** Heres: & tu magne Puer, **CAROLE-HENRICE**,

D 3

Regium

Regium Heruleum sanguen, cresce in laudem DEI, cresce in Patria salutem! hunc ergo vide, ut ablandientibus patrisq; oculis, tenellas ad te Patrem suum extendat manus, tuaq; vitæ longevitatem signis non fallentibus sibi exoptet? Huic te & patriæ tuæ, Princeps Illustrissime, serva.

Nos autem, Auditores; ut quò digressus eram, inde redeam; Deum Opt. Max. oremus: ut Illustrissimum Principem & Dominum nostrum Clementissimum, Conjugis Illustrissimæ discessu inæstissimum viduum, à tristitia avocet: eundem cum fratre Illustrissimo, Celsissimo Principe & Dno. Dno. **ADOLPHO-FRIDERICO**, Patre Patriæ Clementissimo, nutritio & Patrono Academiæ hujus certissimo, indissolubili pacis & concordiæ sanctissimæ vinculo combinatos; cum tota Serenissima Ducum Megapolitanorum domo, incolumes & florentes perpetuo servet: lucem veræ religionis & virtutis, & doctrinæ studia: hanc Provinciam hoc Lyceum, hanc urbem in his orbis terrarum partibus benigne tueatur: nosq; omnes, quæ infinita ipsius est & nullis seculis terminanda bonitas, faciat vasa misericordiæ & organa salutaria, quæ ipsum

Deum Trinunum, & hæc & in omnem seculorum ævitermitatem celebrent.

D I X I



HENRICO CAROLINUM  
CAROL-HEINRICH  
Regium  
P 3



*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

*[Faint, illegible text]*












fastidio: quò animæ piòrum translata consuetudine  
Hanc iucunditatem, harum cælestium voluptarum  
nem non inuideamus piè defunctæ Illustrissimæ nost  
quanta possumus gratulatione maxima gratulemur  
tam purpureis ad bustum sparsis floribus, spiranti  
lis, rosis aut costo: quàm animo memori donorum  
placium, quorum Divæ Margarethæ Elisabethæ co  
peruo æstimatore veneremur.

Tu quoq; **JAN-ALBERTE**  
re Regum ducens, (sit enim mihi fas, Auditor  
orationis postrema parte exspaciari) Princeps Celsij  
Pater patriæ Clementissime! qui ista sejunctione  
à te discesione angeris! facis quidem quòd homin  
est conditionis homuncio, qui sibi ereptum, cum  
bat, amicum non fleat? non prosequatur lacrum  
miscat? stoicus, *ἄσχογος*, bestia, lapis sit oportet  
tamen, patere quaeso, ó Pater Patriæ, hoc à me  
dolori. At amisisti Conjugem? non amissa est, se  
mors ornamentum singulare, unionem præstanti  
ista margarita sed in alteram perpetuam vitam  
ante ætatem canam occidit Tua, nec satis diu  
nis vita hominum, etiam longissima cum est, brevi  
tem futurorum seculorum comparata: quasi hoc sit  
extremum. Posuit Tua vitam in ipso flore vitæ?  
etiam optimum dolor est & labor: at nunc ipsa  
meliora transit, ubi quæ desideravit tenet; quæ  
ravit, possidet. Reliquit deniq; tibi liberos tene  
res? His tu, Princeps, pater es genitor, & DE  
utriq; inter suspiria ardentissima liberos suos in  
mendavit. Ad hæc extrema verba Princeps r  
tuorum Illustrissimorum liberorum causa ne te ju  
**HENRICO-CAROLINUM**  
bor ævo, futuris temporibus, DEO propitio, Pr  
gagoleos Heres: & tu magne Puer, **CAROL**

D 3



the scale towards document

pendent.  
gnitudi  
us de ea,  
sam non  
is, vio  
multi  
uit, per  
Stemma  
hac meæ  
stissime,  
Conjugis  
privatæ  
nventio  
on inge  
it. Sed  
isti tuo  
puit tibi  
cepta est  
ervatur.  
non om  
ternita  
atiquid  
lum, ubi  
quam ad  
quæ spe  
u infan  
ror: cui  
na com  
ita! &  
! Crescit  
velut ar  
& Me  
ICE,  
Regium